

religioſiſſimè ſervari teſtatur Covarruvias *Pract. Quaſt. cap. 36.* „ ubi Patrono laico licet conqueri, de tacita „ vel expreſſa derogatione, ſicut apud Gallos.

Tameñi textus Concordatorum quæcumque Beneficia, etiam Dignitates generatim exprimat, nihilominus non credunt, comprehendi Dignitates electivas titulo *fundationis præſertim laicalis*, uti obſervat Fevretius loco citato *numer. 6.* ibidem unâ aſſerens, hodie paſſim judicari, Dignitates omnes, etiam *electivas confirmativas*, ſed alio titulo quam *fundationis*, ſubjectas eſſe juri *præventionis*; quamvis aliquando de eo dubitatum fuiſſet.

XXXIII. Præventio demum locum habet, ſi proviſio Pontificia facta fuerit *rebus integris*; hoc eſt needum à Collatore Ordinatio incepto negotio collationis. Si enim Canonice inſtitutionis fines vel leviſſimè attingit, quamvis ad exitum non perduxerit, tamen *rebus integris* non amplius extantibus, collationi Pontificæ nullus locus dabitur. Ita Pinſonius De Benef. tit. De Canonice Inſtitutionum conditionibus §. 10. num. 2.

XXXIV. Res autem non cenſetur integra quando quoquo modo negotium inchoatum eſt, non tantum per actum aliquem eſſentialem, ſed etiam ſolum præparatorium; v. g. per *pulſum campanæ* ad congregandum

Capitulum pro electione; aut etiam ad deliberandum de forma, aut die electionis faciendæ; aliumve actum, quo, electores, Collatores aut Patroni oſtenderunt, ſe non fuiſſe in defectu utendi ſuo jure; ait Brodæus ad Lovetium *Litt. P. n. 25.* atque ita judicatum fuiſſe teſtatur, *præventionem* locum non fuiſſe, eo quod præviè ad proviſionem Apoſtolicam actum fuiſſet in Capitulo de electione faciendâ.

XXXV. Aliud eſſet (ait ibidem Brodæus) ſi Capitulum Sede vacante deſiſſet tantummodo deſervituram alicujus Eccleſiæ Parochialis vacantis *donec provideatur per futurum Episcopum.*

XXXVI. Cum enim hic actus non fuerit expeditus per collatorem; neque concernat ipſum *titulum*, impeditur nequit præventionem Papæ: cum reſpectu tituli res manſerit integra.

XXXVII. Quinimò collatio aut actus proviſionis etiam *nulliter & invalidè* factus per Ordinariū aliquando conſtituit rem non integram; ipſamque præventionem impedit; ut ſi Ordinarius contulerit non Graduato in mente Graduatis affecto.

XXXVIII. Collatio quidem nulla eſt in favorem Graduati ſe opponentis; ſed tamen præventionem impedit; uti docet poſt alios citatos Fevretius loco citato.

TITULUS XXIV.

De Proviſione Apoſtolica.

CAPUT I.

De Proviſione in forma dignum, & in forma gratioſa.

1. Proviſio in forma dignum unde ſic dicta.
2. Per hanc proviſio proprie non ſit per Papam; ſed per Ordinarium.
3. Ante obtentam collationem ab Ordinario Proviſus nullum habet titulum.
4. Non poteſt Beneficium reſignare ante habitam ab Ordinario proviſionem.
5. Neque capere poſſeſſionem.
6. Ordinario recuſante litteras proviſionis, ad quem recurrendum?
7. Forma dignum alia antiqua, alia noviffima.
8. Quid circa has formulas habeat hodierna praxis, præcipue in Gallia.
9. Formula litterarum proviſionis ſeu viſa per Ordinarium.
10. Examine peracto quomodo Ordinarius conferat.
11. Ordinarius hic cenſetur Episcopus Beneficii.
12. Proviſio in forma dignum alteri directâ in Gallia non recipitur; niſi ob cauſam.
13. Examen alteri per Ordinarium delegari poteſt.
14. Episcopi merito perſonaliter examini interſunt.
15. Ratio inducta huius formula.
16. Quando Papa ſufficienter eſt inſtructus de capacitate Supplicantis ſit proviſio in forma gratioſa.
17. Proviſio in hac forma eſt proprie proviſio Apoſtolica.
18. Forma Signatura in hac formula.
19. Hac proviſio dirigetur ad ipſum Supplicantem; cui & inſcribitur tamquam Beneficiario.
20. Formula inſcriptionis.
21. Tenor proviſionis.
22. De executeore huius proviſionis.
23. Hodie quoad Beneficia præſertim curata non ſolet dari proviſio in forma gratioſa; & quare.
24. Quoad Beneficia ſimplicia frequentior eſt proviſio in forma gratioſa.

Reſcripta ſive proviſiones Apoſtolicæ aliquando expediuntur juxta hodiernū ſtylum Curie Romanæ in forma *gratioſa*; aliquando autem & quidem frequentius, ſaltem quoad proviſiones de Beneficiis Curatis in forma *dignum*.

Vocatur autem proviſio hæc in forma *dignum* à primis verbis Bullæ, quæ *dignam arbitramur*.

II. Verum, uti rectè notant Canonice, quando proviſio expeditur in forma *dignum*, tunc proprie de beneficio non providet Papa; ſed potius ipſi Ordinario vel Executori providere mandat; quare non immeritò hujusmodi proviſio dici poſſet, *mandatum de providendo*.

In hac enim proviſione, remittit ſupplicantem ad Ordinarium, ut ſupplanti de beneficio provideat, ſi modo prævio examine eum idoneum repererit, ſub hac clauſula: „ Mandamus quatenus ſi poſt diligentem examinationem dictum N. ad obtinendum beneficium N. idoneum eſſe repereris, ſuper quo conſcientiam tuam o- „ neramus, eidem N. dictum beneficium auctoritate Apoſtolicâ conferas.

III. Evidens hinc eſt, proviſionem ſeu collationem beneficii non haberi immediatè à Pontifice; ſed eam obtineri debere ab Ordinario: ipſumque ſupplanti ante obtentam ab Ordinario collationem, nullum adhuc titulum beneficii habere.

IV. Unde ſi Reſignatarius obtinuerit proviſionem in forma *dignum*, non poterit ante obtentam collationem ab Ordinario, ſuum beneficium alicui reſignare, uti poſt Flaminium Parifium De Reſignat. Beneficiorum *lib. 3. q. 1. n. 149.* monet Carolus Fevretius tract. De Abusu *lib. 3. cap. 4. num. 12.*

V. Refert quoque ibidem Fevretius, jam pridem Regiis Edictis cautum eſſe, quod non poſſit capi poſſeſſio beneficii vigore proviſionis in forma *dignum* ante obtentam litteras Ordinarii, quas vulgò *Viſa* appellat, quæ ipſam collationem continent.

VI. Si Ordinarius ſimpliciter recuſet litteras proviſionis ſive *Viſa*, jam pridem dubitatum fuit, ad quem

quem haberi deberet recurſus. Et quandoquidem Ordinarius hic videatur procedere auctoritate *Apoſtolicâ*, viſum fuit nonnullis, ad Sedem Apoſtolicam pro novo Executeore recurrendum eſſe. Verum cum hic de functione Hierarchicâ, nimirum examine ſuper capacitate ad beneficium agatur, aliis viſum fuit, rationi, & conſervationi Hierarchicæ ſubordinationis congruentius eſſe, ut gradatim ad immediatos Superiores appellari deberet; & ita in Gallia obtinere, & variis Regiis Edictis cautum eſſe, teſtatur poſt alios Fevretius loco citato; & latius videri poteſt in actis Cleri Gallicani: quod tamen in Patria juris *ſcripti*, ſive *obediencia* aliter obſervari notat Perardus Gaſtellus in Praxi Curie Romanæ *pag. 252.* aſſeritque ibidem ſemper recurri ad Episcopum *viciniorem*, uti ex ſtylo Curie Romanæ præſcribitur in forma *dignum noviffima*.

VII. Forma hæc tenus deſcripta hodie ex ſtylo Curie Romanæ vocari ſolet, *Forma dignum antiqua* ad diſtinctionem alterius formæ recentè introductæ vocatur *Forma dignum noviffima*; quæ expediuntur proviſiones de Beneficiis *reſervatis* Sedi Apoſtolicæ; præſtituuntur Executori 30. dies intra quos proviſionem facere tenetur; alias ad *viciniorem* Suffraganeum recurrendi facultas conceditur.

VIII. Obſervat quoque ibidem Gaſtellus, nullam eſſe diſtinctionem apud Gallos, inter proviſionem in forma *dignum antiqua* & formam *dignum noviffima*; quamvis juxta ſtylum Curie Romanæ non una inter utramque formulam diſtinctionem intercedat; quam paucis hic exhibet Gaſtellus; & latius formulæ formæ *dignum noviffima* prolatis & conſtit. 2. *Cogit nos Pii V. Flaminii Patiius* De reſignat. benef. *lib. 8. q. 7. num. 197.* Quamvis omnis proviſio Beneficiorum reſervatorum, item quæ ſit vigore reſignationis in Curia R. ſoleat expediti in forma *dignum noviffima*, nihilominus in patria *conſuetudinaria* ſemper proceditur ac ſi expedita eſſet in forma *dignum antiqua*, & in terris juris ſcripti ſeu *obediencia* ac ſi eſſet expedita in forma *dignum noviffima*; etiam ſi eſſet revera in forma *dignum antiqua*.

IX. Formulam litterarum proviſionis ſeu *Viſa* expeditam per Episcopum vigore Signaturæ in forma *dignum* ſibi oblata, exhibet Claudius Horrii in novo tractatu de materiis Eccleſiaſticis *pag. 437.* edit. 1695. & alteram expeditam per Vicarium Episcopi *pag. 439.*

X. Poſtquam enim examine facto, Ordinarius Supplicantem reperit idoneum, tunc quaſi conditione impleta ad proviſionem auctoritate Apoſtolicâ procedit, ipſumque beneficium ei conferit hac formulâ: *Auctoritate Apoſtolicâ conferimus, & de illo etiam providemus.*

XI. Ordinarius hic reputandus eſt Episcopus ſive Vicarius generalis loci in quo beneficium ſitum eſt, tam eſt etiam ipſum beneficium eſſet unitum Monasterio aut Capitulo exempto; quemadmodum poſt Rebuſum, & Philippum Probum notat Fevretius De Abusu *lib. 3. cap. 4. num. 14.* Quia maximè intereſt Ordinarii ſeu Episcopi, ut ad beneficia, præſertim Curata in ſua Diœceſi nemo admittatur, niſi quem ipſe prævio examine idoneum judicaverit.

XII. Imò ſi proviſio in forma *dignum* alteri quam Ordinario committeretur, tamquam abuſiva rejiceretur, ait Fevretius ibidem *num. 15.* niſi tamen Ordinarius eſſet ſuſpectus, aliave juxta cauſa ſubeſſet, cur Ordinario committenda non videretur: quo caſu poſſet Ordinario neglecto, ejus Metropolitanano committi; uti eodem loco monet Fevretius, & in contradictorio judicio deciſum fuiſſe refert.

XIII. Quamvis ipſa proviſio ab Ordinario, ejuſve Vicario generalis juxta tenorem litterarum Apoſtolicarum expedienda ſit, examen tamen alteri committi poſſe communis eſt opinio, quæ & hodie invaluit, juxta *Clementinam unſcam De Officio Judicis Deleg.* ubi dicitur *Van Eſpen Jur. Eccl. P. II.*

tur, examen teſtium per Judicem Delegatum alteri poſſe committi: quamvis fatendum ſit quòd verba proviſionis Apoſtolicæ, *Si poſt examinationem idoneum reperis, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus*, merito dubium ingerant, an intentio Pontificis ſit, ut alteri examen committatur; quia tamen praxis eam interpretationem admittit, ea reſervari poteſt: modò tamen talibus examē committat Ordinarius, ut eorum judicio de idoneitate Supplicantis acquieſcere poſſit; atque merito conſidat, quòd ad ipſorum relationem moralem de idoneitate certitudinem habeat. Pontifex enim ſupponit, quòd ad proviſionem non procedat, niſi poſt examinationem, eum *idoneum repererit*; ejus conſcientiam ſuper hoc onerando.

XIV. Optandum ſane eſt, ne levius nonnumquam quibuſvis Examinatoribus crederent; majoremque hujus examinis, præſertim ubi de Curatis Beneficiis agitur, curam haberent; ac frequentius ipſi per ſe aſſerent.

XV. Forma *dignum* inducta fuit, ut idoneis ad beneficia aditus occluderetur: unde Papa numquam dat proviſionem Beneficii niſi ſub conditione, *Si Orator idoneus reperitus fuerit*; & ideò ſi ei ignotus fuerit, committit examen & proviſionem Ordinario loci ubi Beneficium eſt ſitum; quæ proviſio hac formâ expedita ab illa commiſſione, etiam ſolet vocari in forma *commiſſoria*.

XVI. Si verò ipſe Papa præviè per teſtimonium Ordinarii ſit ſat inſtructus de capacitate Oratoris, tunc litteræ ſolent expediti in forma *gratioſa*; ſed ſine ulla commiſſione ſuper examine per Ordinarium faciendò, priuſquam proviſio obtineatur: ſed abſolutè per Papam ſit proviſio, & vigore hujus proviſionis poteſt Orator capere poſſeſſionem Beneficii ſine examine prævio, vel litteris proviſionis, ſive *viſa* ab Ordinario obtentis.

XVII. Quare proviſio in hac forma *gratioſa* expedita, eſt vera & proprie dicta proviſio Apoſtolica; ubi e contra proviſio in forma *dignum* potius eſt *mandatum de providendo* directum ad ipſum Ordinarium ſive ejus Vicarium generalem; uti ſuprà notavimus.

XVIII. Forma hæc in Signatura Papæ ita ſolet concipi: *Cum expreſſione quòd dictus Orator teſtimonio Ordinarii ſui de vita, moribus & idoneitate commendatur.* Quæ expreſſione ſignificat Papa, litteras eſſe expeditas in forma *gratioſa*; nec conſequenter dirigendas aut inſcribendas Ordinario aut ejus Vicario.

XIX. Litteræ autem proviſionis in forma *gratioſa* diriguntur ad ipſum Supplicantem, cui ſemper hujusmodi litteræ inſcribuntur; quin & titulus Beneficii ipſi tribuitur: ut pote qui jam per Apoſtolicam proviſionem ipſum Beneficium habere ſupponitur. Quapropter ſi de Canonice agatur, ſcribitur *N. Canonice*, etiam ſi ante Canonice non eſſet.

XX. Juxta Signaturam Papæ Bulla extenditur hoc tenore: *„ Vitæ & morum honeſtas aliaque laudabilia „ bitatis & virtutum merita nos inducant, ut ſpecialibus „ favoribus proſequamur: cum itaq; Beneficium „ &c. Si Orator ſit Doctor aut Licentiatuſ in altiori ſcientia, tunc incipit, LITTERARUM SCIENTIA, vite & morum „ honeſtas &c. Si nobilis, Nobilitas generis; Si Regularis, RELIGIONIS ZELUS, vite merita &c.*

XXI. Poſt hæc narratur qualitas Beneficii, modus vacationis, alique adduntur clauſulæ; ac dein ſit proviſio hæc formâ: *Apoſtolica ſibi auctoritate conferimus & providemus.*

XXII. Dein juxta ſtylum Curie nominatur Executor, vel etiam plures, quatenus ipſe, vel duo aut unus eorum per ſe, vel alium vel alios, ipſum Oratorem per ſe, vel ſuum Procuratorem in corporalem poſſeſſionem auctoritate Apoſtolicâ inducant, & defendant inductum.

Hi Executeores hodie de ſtylo Curie debent eſſe in dignitate conſtituti, ſolentque eſſe Officiales Episcopi, modò ſint principales, non *foranei*; ſo quòd hi

dignitatem habere non censeantur; uti notavi parte 1. tit. 12. cap. 4.

XXIII. Verum cum nonnulli ad evitandum examen Ordinarii sollicitent provisionem in forma gratiosa; idque nonnumquam exhibitis falsis testimoniis, aut certe talibus, quæ intuitu aliorum Beneficiorum, vel tempore quo ejus modi testimonium Orator merebatur, data fuerant; aut etiam interdum aliorum Ordinariorum, quàm locorum in quibus Beneficia sita erant, utebantur; idcirco ad querelas Episcoporum tantum fuit in Gallia Edicto Regio anno 1647. nullum vigore provisionis in forma gratiosa admitti posse ad possessionem Beneficii cui *cura animarum* incumbit, nisi prævidè examen Ordinarii subierit, sub pœna nullitatis.


Neque hic in Belgio facile quisquam ad possessionem Beneficii curati sine examine Ordinarii admitteretur vigore provisionis in forma gratiosa in Curia R. obtentæ. Scatur enim, quàm multis modis Pontifici, in remotis agentis, imponi possit, & unâ scitur, quàm periculosum sit, ad curam animarum admittere, de quorum capacitate & moribus certitudo non habetur; ut proinde jure omnibus modis solliciti sint Episcopi, ut se de qualitatibus eorum informare queant.

XXIV. At in cæteris Beneficiis, quæ nullam curam animarum annexam habent, non difficulter recipitur provisio in forma gratiosa; imò examen circa providendos de Beneficiis simplicibus penè exulavit; credunturque ad simplicia Beneficia capaces, qui saltem Ordine Sacro sunt initiati.

CAPUT II.

Forma novæ Provisionis; item *Perinde valere*; nec non *Perinde ETIAM valere*; & *Rationi congruit*.

1. Ad quid inducta forma Novæ provisionis.
2. Differentia inter Novam provisionem quando prior fuit à Papa, vel quando ab Ordinario.
3. Provisio hac non retrotrahitur ad datam primæ provisionis: & quis hujus effectus.
4. Hac provisio non præjudicat juri qualis per primam provisionem.
5. Huic provisioni simile est Rescriptum *Perinde valere*.
6. Quomodo hoc Rescriptum detur.
7. Per hoc Rescriptum non intendit Papa derogare juri tertii.
8. In Supplicâ pro hoc Rescripto exprimendi nominatim omnes defectus primæ provisionis.
9. Quid Rescriptum *Perinde ETIAM valere*.
10. Hujus Rescripti nullus hodie est usus in Gallia.
11. Rescriptum Rationi congruit cur ita dicatur.
12. Regula Cancellaria de hoc Rescripto.
13. Finis hujus Rescripti.
14. Per hoc Rescriptum gratia ante concessa nihil ad validitatem accedit.
15. Hujus Rescripti rarior usus in Gallia, & quare.

I. pecialis quoque forma provisionis est, quæ vocatur forma novæ provisionis; & integra refertur à Rebuffo in Praxi parte 1. qui & clausulas in ea contentas explicat.

Hæc forma inducta est ut suppleantur defectus qui anteriori provisione forsitan intervenerunt; utque prior provisionem confirmet, & in quantum opus, denuò revalidet & reformet.

II. Hic notandum, quòd si petatur novæ provisionis ad confirmandam provisionem ab ipsomet Papa signatam,

tunc nominatim exprimendos esse defectus ob quos novæ provisionis petentis non conceditur; quia nisi nominatim exprimat, supponitur provisio Papæ esse valida.

Si autem prior provisio fuerit per Ordinarium facta, tunc sufficit ut in supplicâ ponatur generalis hæc & vulgaris clausula, *Cum ex certis causis de primæ provisionis viribus bestetur &c.* Papa enim tamquam Ordinariorum Superior defectus ipsorum supplere potest; nihilque nocere credit, si saltem ad cautelam provisiones Ordinariorum confirmet, & si opus est, etiam validet.

III. Hæc provisio non retrotrahitur ad datam primæ provisionis; sed tantum operatur à die ipsius expeditionis: ideoque si alicui tertio jus quaesitum sit inter utramque datam, inutilis erit hæc novæ provisio. Habet enim Papæ provisio semper hanc implicitam clausulam, quæ in Bulla exprimitur: *Dummodo tempore data presentium non sit in eo (Beneficio) alicui specialiter jus quaesitum.*

IV. Per hanc provisionem juri vigore primæ provisionis quaesito nullatenus præjudicatur; sed juri accumulatur, uti ex verbis supplicæ innoscitur: *Eidem Oratori sine præjudicio, vel ad illud jam aliunde, ut præferatur, quaesitum, sed juri addendo, & antiquum conservando, & de illoriam providere dignemur &c.*

V. Huic formæ provisionis admodum simile est Rescriptum, quod vulgò dicitur *Perinde valere*, suppletque locum novæ provisionis in Beneficiorum provisionibus expeditis per litteras seu Bullas Apostolicas.

VI. Rescriptum itaque datur *Perinde valere*, quando Papa gratiam suam ex parte invalidam confirmat: novæ vero provisio datur, quando collatio facta fuit ab alio, quàm à Papa; ita Rebuffus in Praxi parte 2. tit. De Rescripto *Perinde valere*, num. 1. & supra notavimus, novam provisionem non dari, quando provisio facta fuit à Papa.

Itaque petitur hoc Rescriptum, quando quis dubitat, primam Papæ provisionem ex aliqua causa impugnari posse, ut *perinde valeat*, ac si valida fuisset tempore impetrationis.

VII. Plura de hoc Rescripto tradit Rebuffus loco citato, enumerans defectus quibus per hoc Rescriptum mederi potest; notatque n. 27. quod sicut per novam provisionem, ita per hoc Rescriptum non intendat Papa derogare juri tertii: atque eatenus effectus hujus Rescripti non retrotrahitur ad datam primæ provisionis.

VIII. Deinde n. 37. monet, quòd supplicâ oporteat exprimere omnes defectus; nec expressio unius suppleat non expressionem alterius. Unde habetur (ait) in Practica Romana, quod in gratia *perinde valere*, non debet suppleri præter illud quod est in supplicâ.

IX. Est insuper ex stylo Curie Romanæ rescriptum in forma *perinde & etiam valere*: quod impetratur, quando gratia à Papa primò facta postea fuit revocata. Per hoc quippe Rescriptum gratia revocata ad pristinum vigorem revocatur, & reducitur.

X. Hujus Rescripti nullus hodie usus est in Gallia: eò quòd ibi pro regula receptum sit, Papam non posse gratiam semel à se concessam revocare. Vide Gastellum pag. 314.

XI. Datur quoque subinde Rescriptum quod vocatur *Rationi congruit*: quia in proœmio Papa ponit hæc verba, *Rationi congruit & honestati &c.*

XII. Hujus Rescripti mentio fit in hodierna Regula 11. Cancellariæ quæ ita sonat: *Item voluit D.N. Papa, quòd concessa per felicis recordationis Alexandrum Octavum Prædecessorem suum, & de ejus mandato expeditur in forma Rationi congruit &c. sub die Coronationis suæ, ut mox est, & idem quoad concessa per præ mem. Innocentium Undecimum etiam Prædecessorem suum ad sex menses duntaxat, ab ipso die Coronationis incipiendos observari voluit.*

XIII. Ex

XIII. Ex his intelligitur finis hujus Rescripti: nimirum, ut litteræ provisionis expediantur super gratiis à Prædecessore non tantum immediato (uti erat in antiquis Regulis) sed etiam mediato factis, super quibus litteræ expediti non poterunt, quia Papa qui concesserat morte præventus fuit.

Hunc quoque scopum Rescripti in suo proœmio significat Pontifex dicens: *Rationi congruit & honestati, ut ea, quæ de Romani Pontificis gratia, seu benignitate in prosequendo iusta desideria petentium processerunt, licet ejus superveniente obitu, Apostolicæ super illis litteræ non fuerint confectæ, suum plenum consequantur effectum.*

XIV. Notandum autem, per has litteras non revalidari, aut confirmari priorem gratiam, vel aliquem ejus defectum suppleri; sed tantum valent ad hoc, ut gratia Prædecessore facta, & quæ defectu litterarum probari non potest, per has litteras probari, & plenum effectum sortiri possit, eodem modo ac si per Prædecessorem litteræ expeditæ essent.

Id non obscure significant verba Rescripto inferi consueta: *Ne autem pro eo quod super collatione & provisione Beneficii superveniente obitu, Apostolicæ litteræ confectæ non fuerint, collationis & provisionis hujusmodi frustreris effectum, volumus & auctoritate Apostolicâ decernimus, quòd collatio & provisio prædictæ perinde à dicta die valeant &c.*

XV. Plura de hoc Rescripto videri possunt apud Rebuffum in Praxi parte 2. tit. De Gratia RATIONI CONGRUIT: Hujus tamen usus in Gallia rarior est, eò quòd Beneficiorum saltem minorum possessio accipi solet vigore solius Signaturæ sine litteris five Bullis in forma expeditis, uti capite sequenti latius dicetur.


CAPUT III.

Provisio Apostolica expedita ad petitionem Partis, & de Signatura, & ejus Effectu.

1. Provisiones Ordinariorum solent expediti in formula motus proprii, seu Apostolicæ.
2. Pontifex numquam censetur providere motu proprio, nisi expressè declaret.
3. Provisio Apostolica motu proprio non admittitur in Gallia.
4. Provisio facta ad petitionem Oratoris est relativa ad supplicam.
5. Pontifex presumitur permoveri ad concedendum per expressam supplicam.
6. Provisio sæpe invalida est ob non rectam supplicam expressionem.
7. Ut de validitate & effectu provisionis Apostolicæ judicetur, notitia exprimentorum, & clausularum adjici solitarum necessaria est.
8. Prius de Signatura agendum; & hujus definitio.
9. Partes Signaturæ describuntur: & unde dicta sit Signatura.
10. Signatura continet summam qua in litteris seu Bullis provisionum latius extenduntur.
11. Absolutè Signaturæ censetur gratia perfecta.
12. Ad essentialiam provisionis non exigitur Bulla; sed requiritur ad ejus executionem.
13. Regula Cancellaria requirens expeditionem Bullæ ante executionem.
14. Regula à posterioribus Pontificibus in nonnullis aucta & quare?
15. Hodie ex stylo Curie Romanæ necessaria est expeditio Bullarum ut habeatur effectus provisionis; Van Espen Jur. Eccl. P. II.

qui stylus in Signaturis supponitur.

16. Signatura creditur, si à Bulla discrepet; item quoad certas circumstantias.
17. Aliquando Signatura sine Bulla plenam fidem facit.
18. Quid agendum cum expeditio Bullæ haberi nequit.
19. In Gallia sola Signatura sine Bullis in plerisque Beneficiis sufficit.
20. Signatura hodie in Gallia verificari debet à duobus Bancuaris.
21. Formula verificationis Signaturæ.
22. In Belgio possessio Beneficii non accipitur sine litteris.
23. Signatura in effectu eandem clausulas continet, quæ in Bullis occurrunt.

I. rovisiones five collationes Ordinarium eo tenore expediti solent, tamquam motu proprio factæ essent, nullâ alicujus supplicationis aut petitionis pro obtinendo Beneficio factâ mentione, notavimus supra tit. 21. cap. 2. num. 10. secus quoad provisiones Apostolicas stylus factæ essent. Hæc enim plerumque expeditur ad supplicationem partis; ita ut in ipsi litteris nominatim exprimat, Provisum pro tali Beneficio supplicasse; ipsi quoque Pontificem ad ejus supplicationem seu petitionem gratiam fecisse.

II. De hac provisione loquitur Bonifacius VIII. in Cap. 23. De Prabendis in 6. ubi unâ declarat, omnem gratiam five provisionem censeri datam ad petitionem partis, nisi expressè secus cautum sit. *Motu quoque proprio (ait) tunc solum gratia fieri censetur, cum hoc expressè cautum fuerit in eadem.*

III. Et sanè hodie in his vicinisque Provinciis rarissimus est usus provisionum motu proprio; imò si Claudio Flaurii in Institut. Juris Canonici l. 2. c. 21. credimus, provisiones motu proprio expeditæ in Gallia non amplius admittantur, postquam competum fuit, clausulam motu proprio esse formulam styli.

IV. Provisio autem quæ datur ad supplicationem seu petitionem alicujus, censetur semper esse relativa ad supplicam, sive ad illa quæ ipsi Pontifici expressita sunt. Nec enim præsumitur Pontifex aliud velle dare, quàm petitur; quod & satis innuit signando ad calcem supplicæ: *Fiat ut petitur.*

V. Ulterius, quia gratia five provisio respondet supplicæ, creditur ipse Pontifex per motum ad gratiam hanc annuendam per ea, quæ in supplicâ sunt expressa; unâ supponens, nihil falsi in supplicâ esse expressum, aut veri, quod exprimi oportuisset, omisum.

VI. Unde si quid falsi sit expressum, aut veri omisum, ratione cujus ipse Pontifex per errorem concessit, aliàs non concessurus, ipsa provisio tamquam *sub & obreptitia* erit in valida; eò quod data censetur provisio sub hac tacita conditione: modo omnia *si cetero* ac verè, prout oportet, in supplicâ sint expressa: idque sâ expressione seu formâ, quæ juxta stylum in Curia Romana requiritur.

VII. Ut ergo de validitate aut invaliditate provisionis Pontificiæ judicari queat, conveniens imò necessarium est, ut intelligatur, quæ & qualiter in supplicâ sint exponenda juxta receptum stylum Curie Romanæ.

Insuper ex stylo Curie Romanæ adjici solent in ipsi litteris provisionis variæ clausulæ, tum ad ipsam gratiâ, tum ad ejus effectum & executionem pertinentes; quibus ipsa gratia, ejus effectus, & executio sæpe dependent: quarum proinde notitia, tum pro intellectu litterarum provisionis, tum recto earum usu & executione non conveniens modò, sed penè necessaria est.

VIII. Priusquam tamen de exprimendis in ipsa supplicâ, & clausulis, quæ litteris provisionis inferi solent, agatur, prænotandum, ante confectionem litterarum seu